

CONCILIUM ROTHOMAGENSE

Ann. 1445.

1. Concilium istud coegit Rodulphus Rothomagensis Archiepiscopus die 11. Decembris Pontificatus Eugenii quarti anno 15.

2. Can. III. *Præterea damnat omnes libellos seu quosdam tractatus arrium magicarum & divinatoriarum. Et super hoc arceps solliciti sint Ordinarii per suas dioceses inquirere, si qui sint tales libri, & ad se evocare.*

Adversus magos, incantatores, ariolos, & eos qui cum ipsis consuetudinem habent, aut ad illos recurrunt, extat Nicanus canon Arabicus 22. ex versione Abrahami Echellensis, & can. 42. Concilii Turonensis III. sub Leone Papa III. & Carolo Magno, edicens: *monent Sacerdotes fideles populos, ut noverint magicas artes, incantationesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedii conferre, non animalibus languentibus, claudicantibusve, vel etiam moribundis quidquam mederi, non ligaturas ossium, vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodesse: sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.* De his vide apud Gratianum, causa 26. q. 1. 2. 3. 4. & 5. paulo inferius can. 6. Huc spectat Concilii Carthagenensis IV. can. 89. auguriis vel incantationibus servientem excommunicans.

3. Can. IV. *Item statuit, quod si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maxime contra Beata Virginem linguam in blasphemiam, abnegando præsumserit relaxare, per Episcopum suum pena multetur annotata in Capitulo, Statutumque, rubrica de Maledictis. Hæc porro ibi pena statuitur: Ut septem diebus Dominicis pro foribus Ecclesie in manifesto, dum aguntur missarum solemnia, blasphemus existens, ultimo illorum die Dominico pallium & calcamenta non habeat; ligatus corrigia circa collum, septemque precedentibus sextis feriis in pane jejnet & aqua, Ecclesiam nullatenus ingressurus. Quolibet autem predictorum dierum tres, si poterit, alioqui duos reficiat pauperes, sive unum. Et si ad hoc nec ejus suppetant facultates, id in panem illam committatur, cui etiam, si remiserit recipere ac peragere penitentiam supradictam, Ecclesie interdicitur ingressus, & in obitu Ecclesiastica careat sepultura. Per temporalem præterea potestatem, coactione (si necesse fuerit) Episcopi diocelani, adhibita contra eum, blasphemus si dives fuerit, quadraginta solidorum, alioqui triginta, sive viginti: & si ad id non sufficit, quinque solidorum usualis moneta pena multetur, nullam in hoc misericordiam habentibus; quod etiam inter alia communitatum statuta ponatur.*

Olim secundum Canones laicus excommunicabatur; Clericus deponabatur 22. q. 1. c. Si quis per capillum. Sed jure civili blasphemus morte puniuntur, in authen. ut non luxurientur homines contra naturam, collat. 6. circa medium.

4. Can. VI. *Item quod si qui inventi fuerint invitatores demonum, & de hoc legitime convicti, quemadmodum fieri publice solitum est, publice prædicentur cum mitra in signum perpetue infamie. Qui si abjuraverint hunc errorem, post peractam penitentiam, ad arbitrium Diocelani misericorditer poterunt relaxari. Si vero contumaciter in suo errore perseveraverint: si sint Clerici, degradati prius perpetuis mancipentur carceribus; si vero laici, relinquuntur curæ seculari puniendi.*

De aliis autem sortilegiis, & superstitionibus, puta carminatoribus, & brevia ad collum hominum & equorum, seu alibi suspendentibus, ordinat hæc sancta Synodus, quod pena jejunii & carceris unius mensis puniantur pro pri na vice. Si vero perseveraverint, pœna graviore ad arbitrium Episcopi compescantur.

Can. VII. *Item damnat modos illos, qui videntur intruduci gratia quasi, denominando imagines, utpote: Notre Dame de recouvance, Notre dame de pieté, de consolation, de grace, &c. Nam talia sunt occasio superstitionis in multis; quasi sit plus in una imagine, quam alia. Abusores pena arbitraria compescantur.*

5. Can. X. *Item præcipit ipsa Synodus, quod unusquisque Parochianus habeat semel in anno omnia peccata sua confiteri proprio Sacerdoti; & ad minus in Pascha Eucharistie Sacramentum reverenter suscipere, juxta decretum, omnis utriusque sexus, & sub pœnis in eo contentis.*

Parochus non est magis proprius Sacerdos in sua parochia, quam Episcopus in tota diocesi. Et quidem in plerisque Parochiis impossibile est omnes proprio Parochio in Pascha confiteri, cum non possit unus sufficere confessioni suorum omnium Parochianorum, ita ut necesse sit auxilium ab aliis Sacerdotibus assumi: si vero id licite sit de consensu Parochi, Idcirco damnata est olim a Joanne Papa XXII. Joannis de Poliaci Theologi Parisiensis doctrina, qua asserbat, eum, qui confessus esset Sacerdoti regulari, invalide confessum fuisse, & teneri eadem peccata de novo proprio Parochio confiteri; ita ut non tantum Episcopus, sed neque ipse Papa possit ab hac regula de proprio Parochio cum ullo dispensare contra canonem Lateranensem, *Omnis utriusque sexus.* Quam doctrinam Joannes Papa damnavit in extrav. commun. c. yas electionis, de hæret. Potest quidem Episcopus huic juri suo cedere, quando & quatenus ex justa causa placuerit, omnemque hanc potestatem delegandi Confessorios in Parochum pro aliquo tempore transferre. Sed aliud est agere ex mero & communi jure, & agere per liberam & spontaneam confessionem.

Can. VIII. *Item quod collatores scholarum, scholas ipsas personis erate, & scientia, & moribus probatis committant, & liberaliter ac sine exactione concedantur.*

Can. XIV. *Item quod beneficia Ecclesiastica personis idoneis & benemeritis tam ex parte patronorum Ecclesiasticorum, & laicorum, quam collatorum & ordinatarum, liberaliter & absque ulla illicita pactione conferantur, & ad illa presententur.*

6. Can. XV. *Item quod promovendi ad sacros Ordines, Ordinario, aut ab eo deputandis examinatio rali tempore se presentent, quod ab illis bene & mature possint examinari: nec recipiantur aliquid ad Ordines ipsos, nisi per examinationem sufficientem & debite factam, reperiantur etatis & qualitatum aliarum, quas sacri definiti Canones.*

Posteriorum Ecclesie sæculorum usus laxior est & solutior, quo indulgetur Clericis beneficiis Ecclesiasticis possidentibus de illius fructibus vivere, quamvis seculares etiam opes possideant seu patrimonium, dummodo quæ sibi superflua sunt ex utriusque usufructibus, in pauperes aliae pietatis opera erogent. At antiquior disciplina videtur hæc fuisse, ut Clerici stipendiis Ecclesie minime participarent, si aliunde ex propriis & secularibus bonis ad honestum victum suppetere, ut auctoritate Hieronymi, & Prosperi, sive quis alius auctor sit librorum de vita contemplativa, 1. q. 2. c. Clericus c. pastor, & c. si quis, probat Gratianus. Quibus ad junge Capitula istud Caroli Magni, quod etiam fidem facit, d. disciplinam istam exactiorem auctoritate niti Conciliorum, ejus hæc verba sunt in Capitularibus 76. 77. & 78. tertie Additionis. *Volumus atque precipimus, si cui Synodali atque canonica auctoritate a Pastoribus sancte Ecclesie sepe admoniti sumus, ut Canonici clerici, qui in civitatibus vel monasteriis degunt, qui beneficia habent, unde victum & vestimentum habere possunt; ut his juxta Apostolum contenti sint, & stipendia fratrum, unde pauperiores, & hi qui assidue in predictis locis Domino famulantes excubant, atque ibi assiduum divinum explentes officium vitam sustinent, nequaquam assumant, aut in suis usibus convolvant. Scimus enim, quia absque periculo, atque dispendio animarum suarum, hoc nullatenus facere possunt. Si quis hæc statuta contempserit, utriusque careat, id est, & beneficio, & præbenda; atque si gradibus fruatur Ecclesiasticis, hic privetur. Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus commune: nec aliquid inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, convenit erogare. Quando nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere. Nec illi, qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. Optabile esset, ut Carolus Magnus singillatim recensisset hoc loco (quemadmodum alibi solet) illos Synodorum canones, de quibus generaliter hic loquitur. Frustra enim ad hoc produxerit aliquis canonem 11. Concilii Vernensis ann. 755. cum fateatur doctissimus Ludovicus Tomassinus, non loqui de aliis quam de Monachis, qui contra editam a se professionem, resumptis sæculi opibus quibus renunciaverant, a Monasteriis recesserant. Concilium vero Aquisgranense ann. 816. regnante Ludovico Pio Imperatore celebratum, quodque vivendi regulas Canonicis & Sanctimonialibus præscripsit, canon. 115. disertè ait, licitum esse Clericis propria bona dare & accipere, & in hoc a monachis differre, quibus id nefas est: *Quoniam enim (ait) Canonici, quia in sacris Canonibus illis prohibuitur non legitur, licet innum induere, carnis vestiri, dare & accipere proprias res, & Ecclesie (scilicet res) cum humilitate & justitia habere,**

Concilium Rothomagensis, ann. 1326.

bere, quod Monachis, qui secundum regularem institutionem arctiorem ducunt vitam, penitus inhibuitum est: non tamen in cavendis vitis & amplectendis virtutibus, eorum a Monachorum distare debet vita. (Et post pauca:) *Quia Monachi nihil sibi proprium reliquerunt, manifestum est illos copiosioribus Ecclesie sumptibus quam Canonicos, qui suis & Ecclesie licite utuntur rebus, indigere.* In summa intendit Aquisgranense Concilium, Clericos patrimonium habentes posse quidem fructus Ecclesie possidere, ea tamen moderatione, ut ad vitam usum aliquid etiam de patrimonio sui fructibus impendant. Episcopi vero, qui tam multas sub Carolo Magno habere Synodos, non aucti ipsi ullo Synodico canone decernere, apud Carolum Magnum sæpissime (ut ipse ait) apud ipsum contulerunt, ut proprio edicto id decerneret, quod perfectius erat, & pristina Ecclesie (quos instaurari cupiebant) usibus conformius. Sed tam ardua perfectio in commune introduci non potuit, & Clericorum relicta est libertati, dummodo ab eo, quod licitum est, non defluerent, ut scilicet quæcumque a modesto victu superflua, in usus pietatis erogentur; hæc enim lege omnes Clerici beneficia habentes Ecclesiastica atringuntur, quorum fructibus licite vesci possunt, secundum ipsius Apostoli concessionem: *Ut qui Altari deserviunt, cum Altari participent. Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.*

Can. XVII. *Item inhibet ipsa Synodus quibuscumque Sacerdotibus, ne promissis per eos celebrandis turpes aliquas pactiones faciant.*

Can. XVIII. *Item ordinat ipsa Synodus, quod omnes Clerici in suis beneficiis juxta eorum fundationes habitibus decentibus resideant. Et præcipit Ecclesiarum Parochianis rectoribus, quod saltem Dominicis diebus, & aliis solemnibus, Parochianos suos in fide & moribus instruant.*

Eadem providit pro diebus omnibus Dominicis & festis Concilium Trident. sess. 24. cap. 4. de ref.

7. Can. XXI. *Item ordinat ipsa Synodus, quod si quis Clericus beneficiatus per mensem post publicationem præsentis ordinationis publicus concubinaris reperitus fuerit, rigore per suum Ordinarium corripatur. Et si post alium terminum, qui sibi pro concubina abicienda statuitur, non repulerit, ipso facto fructus beneficiorum suorum perdat per tres menses, qui ad utilitatem ipsorum beneficiorum applicabuntur. Quam si abunde retinuerit, omnibus beneficiis suis privetur, & alias canonice puniatur. Ceteri autem tam laici quam Clerici fornicatores, & adulteri, moneantur, ut deinceps contineant: alioquin contra ipsos procedatur, prout ipsorum exegerit culpa.*

Fuerant hæc in Concilio Basileensi constituta: indeque in pragmaticam functionem transposita; ex eaque in Concordatum inter Leonem Papam X. & Franciscum I. Francorum Regem initum, & a Lateranensi quarto Concilio approbatum, derivata sunt. Sic vero sancitur illo Concordato: *Et insuper statuitur, ut quicumque Clericus, cuiuscumque status, conditionis, religionis, dignitatis, etiam si Pontificalis, vel alterius præminentie fuerit, qui deprehensus fuerit publicus concubinaris, a perceptio fructuum omnium beneficiorum suorum eximium mensem spatio ipso facto suspendatur, quos suos superior in fabricam Ecclesie, vel evidentem aliam Ecclesiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, converterat. Nec non hujusmodi concubinaris, ut primum talem esse noverit, mox suis superior monere teneatur, ut intra brevissimum terminum concubinam dimittat. Et si illam non dimiserit, jubemus, ut ipsam suis omnibus beneficiis omnino privet. Et nihilominus hujusmodi concubinaris, usquequo cum iis per suos superiores post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestamque vitæ emendationem, fuerit dispensatum, ad inspectionem quorumcumque honorum, dignitatum, beneficiorum, officiorumque sint inhabiles. Qui si post dispensationem residuo vomitu ad hujusmodi publicum concubinatum redierint, sine spe alicujus dispensationis, ad prædicta prorsus inhabiles existant. Quodque si hi, ad quos talium correctio pertinet, eos, ut prædictum est, punire neglexerint, eorum superiores tam in ipsis de neglectu, quam in illos pro concubinarum modis omnibus digna punitione animadvertant. (Et post pauca interjecta:) *Publici autem intelligendi sunt non solum hi, quorum concubinaris per sententiam aut confessionem in jure factam vel per rei evidentiam, sine spe alicujus dispensationis clari possit, notorii sunt; sed etiam qui mulierem de incontinentia suspectam & diffamatum tenent, ex quo per suum superiorem admoniti, ipsam cum effectu non dimittunt.**

8. Can. XXII. *Item inhibet ipsa Synodus omnibus in sacris Ordinibus constitutis, ne mulieres aliquas, nisi de Caballutii, Notitia Ecclesiastica.*

illis in quibus naturale factus nihil permittit savi criminis suspicari, secum teneant; & quod ipsi suos filios, aut filias illegitimas in domo sua non habeant; nec eis per eosdem filios in Ecclesia serviantur.

Eadem prorsus decernit Concilium Colonienfe provinciale anni 1452. cui Nicolaus Cusanus Cardinalis Legatus per Germaniam Apostolicus præfedit. Eadem præterea ex Concilio Basileensi adversus Clericos concubinaris repetuntur in Concilio Provinciali Senonensi anni 1485. Præfide Archiepiscopo Trifando de Salazar att. 2. cap. 5. de concubinariis.

9. Can. XXIV. *Item quod nullus citetur ex officio, nisi prius aequalis præcesserit informatio, qua Officiali loci offensa fuerit: nec excommunicetur aliquis propter contumaciam, nisi in scriptis, aut alias legitime consiterit, quod fuerit citatus, & littera excommunicatoria rectoribus Ecclesiarum infra mensem ad tardius presententur.*

Quoad primam Canonis hujus partem, nec ordo iudiciorum, nec æquitas naturalis patitur, ut quis sine aliqua probatione criminali iudicio implicetur. Quinimo de alicujus delicto non est inquirendum ex officio, nisi aliqua præcesserit infamia, non utique apud malevolos aut maledicas personas, sed apud providas & honestas, c. qualiter, lib. 2. de accusat. Quod spectat ad secundam Canonis partem: Comperta res est, quod censura quæcumque, sed præsertim excommunicatio, quæ ab iudice fertur, circa præsens delictum cum contumacia conjunctum, (secus enim est de censura, quæ fertur a Canone, cujus non alia requiritur, ut incurritur, conditio, præter Canonis promulgationem, postquam contraveniens homo ipso suo facto censura irretitur) prærequirit trinam in scriptis admonitionem, c. omnes de cenz. 16. q. 7. & c. de Presbyterorum, 17. q. 4. c. contingit il. 2. & c. facto, de sent. excom. & c. constitutionem de sent. excom. in 6. Præterea quævis censura a iudice ferenda, præsertim excommunicatio decerni per scripturam debet cum expressione causæ, alioqui nulla & inanis erit censura, & iudex a quo lata est, suspensus manet per mensem ab ingressu Ecclesie, & a divinis: ex constitutione Concilii generalis secundi Lugdunensis sub Innocentio Papa quarto, quæ habetur in c. cum medicinalis de sent. excom. in 6.

CONCILIUM SENONENSE

Anni 1485.

1. Sti Concilio præfedit Trifandus de Salazar, Senonensis Metropolitæ, in quo instaurantur constitutiones alterius, quod præcesserat, Concilii Senonensis habitæ anno 1462. cui præfuerat Ludovicus de Mediolano Archiepiscopus. Quibus tamen etiam accessere novæ hujus posterioris Synodi Sanctiones. Dividitur hæc Synodus in quatuor articulos, singuli vero articuli in plura capita dissectantur.

2. Art. I. cap. 1. divina chori officia sic ordinat: *Ut omnes quibus nullum obstat legitimum impedimentum, vel justa exceptio, horis debitis signisque præmissis, cum tunica talari & superpelliceis ultra medias tibias longis vel cappis juxta temporum & regionum diversitates, Ecclesias ingrediantur, non capucia, sed almuia vel bireta tenentes in capite. Qui cum in choro fuerint, gravitatem servent, quam locus & officium exigunt: non in simul, aut cum aliis fabulantes aut colloquentes, aut litteras aut scripturas alias legentes; & cum psallendi gratia ibidem conveniant, muta aut clausulabia tenere non debent, sed omnes, præsertim qui majori funguntur honore, in psalmis, hymnis, & canticis Deo alacriter modulentur. Cum dicitur: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, omnes consurgant. Cum nominatur illud gloriosorum nomen, in quo omne genu flectitur, caelestium, terrestrium & infernorum, omnes capus inclinent. Nemo ibidem dum hora in communi publice cantantur, legat vel dicat privatim Officium: Nam non solum obsequium quod obnoxium est, choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat. Super his debite observandis aliisque ad Divini Officii perfectionem, ac chori disciplinam spectantibus, Decanus, vel cui incumbit onus, diligenter invigilet, hinc inde ne quid inordinate fiat, circumspiciens. Horum autem transgressores, illius hora, in qua circa supradicta excesserint, distributionibus vel alia majori, prout transgressionis gravitas exigit, plebantur pœna. Qui in Matutinis ante finem illius Psalmi, Venite exultemus, in aliis horis ante finem Psalmi primi, in Missa ante ultimum Kite eleison usque ad finem Divino Officio non interfuerit, nisi*